

eo castra vulgaretur statim: 'Disce militare, miles; Galba est, non Gaetulicus'. Cum septuagesimum tertium aetatis annum ageret, dum factione Othonis accensas legiones lorica tectus lenire contenderet, ad lacum Curtium caesus est.

Salvius Otho, splendidis ortus maioribus ex opido Ferentano, imperavit menses tres, vita omni turpis, maxime adulescentia. Hic a Vitellio primum apud Placentiam, dehinc apud Betriacum victus semet gladio transfixit anno aetatis tricesimo septimo, adeo amabilis militibus propriis, ut plerique corpore eius viso suis manibus interierint.

Vitellius, ortus familia nobili, patre Lucio Vitellio ter consule, imperavit menses octo. Iste tumens crudelis avarusque cum profusione fuit. Huius tempore Vespasianus in Oriente principatum arripuit; a cuius militibus certamine sub muris urbis habito superatus e palatio, quo se abdiderat Vitellius, vinctis a tergo manibus productus circumducitur ad spectaculum vulgi. Ac ne homo impudens in extremis saltem malorum, quae gesserat, rubore faciem demitteret, subiecto in mentum gladio seminudus multis coeno fimoque et ceteris turpioribus dictu purgamentis vultum eius incessantibus per scalas Gemonias trahitur, ubi Sabinum, Vespasiani fratrem, necari permiserat. Numerosis ictibus confossus interiit. Vixit annos quinquaginta septem. Hi omnes, quos paucis attigi, praecipue Caesarum gens, adeo litteris culti atque eloquentia fuere, ut, ni cunctis vitiis absque Augusto nimii forent, profecto texissent modica flagitia.

Vespasianus imperavit annos decem. Huius inter cetera bona illud singulare fuit inimicitias oblivisci,

